

**Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**

**Wersja krakowska, wariant wawelski**

Rękopis Biblioteki Kórnickiej, sygn. 800 (Kodeks Działyńskich IV), s. 120–121

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 47 [Gn. 46]

[47] Si mulier bona censualia edificia [<sup>a</sup>] a viro habuerit. XLVIII

Si vir sue uxori sua edificia dederit, que super bona censualia edificata sunt, coram domino proprietatis, et suis vicinis, tempore sue vite, et inducetur eam in possessionem, et si discedat ab hac luce sine prole, et si heres suus super bona eadem loqui voluerit post mortem viri, nichil in eis poterit obtinere, si mulier protestari potuerit, quod ei datum fuerit. Si apparatus et edificia viri fuerint, extunc heres mulieri infringere potest, nisi donacio in [s. 121] iudicio bannito confirmata fuerit. Quia nullus suum propium dare potest, nisi in iudicio bannito, coram iudice et scabinis, nisi suus heres contradicat. Si hereditaria bona fuerint, extunc sue uxori dare non potest absque heredum consensu, vel absque dominum proprietatis consensu, cuius bona sunt. Si vir mercimonia aut bona mobilia habuerit, quod cum bonis emerit succesoribus paterna succesione, hoc sue uxori dare non potest, nisi coram iudicio bannito coram iudice et scabinis. Si autem vir habuerit bona mobilia aut mercimonia, que sibi propriis laboribus aut fortuna prospera accreuerunt, cum sua uxore, hoc dare potest in sue vite valitudine cuicumque placet, cuiuslibet sine contradiccione.

<sup>a</sup> w rkps. r

[hasła: mąż, żona, budynek, dobra czynszowe, własność, krewny, dożywocie, spadkobierca, dziedzic, potomstwo, sąd wyłożony, transakcja, sędzia, ławnik, sprzeciw, dobra dziedziczne, zgoda, zezwolenie, towar, ruchomość]